

UNIVERSITY OF TORONTO
CENTRE FOR MEDIEVAL STUDIES

Ph.D. level Medieval Latin Examination

SEPTEMBER 7, 1990

Translate ALL passages. The examination has been set for two hours, but you may take an extra hour if you wish. Each question will be given equal weight in the final assessment. The use of dictionaries is NOT permitted. Please write on alternate lines, on one side of the paper only. DO NOT USE PENCIL.

1. The wicked wife of King Offa (Asser)

Fuit in Mercia moderno tempore quidam strenuus atque universis circa se regibus et regionibus finitimis formidolosus rex, nomine Offa, qui vallum magnum inter Britanniam atque Merciam de mari usque ad mare fieri imperavit. Cuius filiam, nomine Eadburh, Beorhtric, Occidentalium Saxonum rex, sibi in coniugium accepit. Quae confestim accepta regis amicitia et totius pene regni potestate, more paterno tyrannice vivere incepit, et omnem hominem execrari, quem Beorhtric diligeret, et omnia odibilia Deo et hominibus facere, et omnes, quos posset, ad regem accusare, et ita aut vita aut potestate per insidias privare. Et si a rege illud impetrare non posset, veneno eos necabat; sicut de adolescente quodam regi dilectissimo hoc factum compertum habetur, quem cum ad regem accusare non posset, veneno eum necavit. De quo veneno etiam praefatus ille Beorhtric rex inscienter gustasse aliquid refertur: neque enim illa venenum dare regi proposuerat, sed puero; sed rex praecoccupavit, inde ambo periere.

...2/-

2. The sorrows of the Virgin Mary (13th century)

Stabat mater dolorosa
juxta crucem lacrimosa
dum pendebat filius;
cujus animam gementem
contristantem et dolentem
pertransivit gladius.

O quam tristis et afflicta
fuit illa benedicta
mater unigeniti!
quae maerebat et dolebat
et tremebat, cum videbat
nati poenas incliti.

Quis est homo, qui non fleret
matrem Christi si videret
in tanto supplicio?
quis non posset contristari,
piam matrem contemplari
dolentem cum filio?

Pro peccatis suae gentis
Jesum vidit in tormentis
et flagellis subditum,
vidit suum dulcem natum
morientem, desolatum,
cum emisit spiritum.

Eja, mater, fons amoris,
me sentire vim doloris
fac, ut tecum lugeam;
fac, ut ardeat cor meum
in amando Christum Deum,
ut sibi complaceam.

3. The nature of visions (Otloh of St. Emmeran)

Visiones autem dico non solum eas, quas per somnia quieta vel per inquieta videmus, cum scilicet rapti in spiritu aliquas perturbationes seu flagella pati nos senserimus, sed etiam eas, quas vigilantes plerique et in extremis positi cernere solent. Quarum omnium genera visionum multifarie in sacra reperiuntur scriptura, maxime tamen in libro quarto dialogorum a beato Gregorio prolata. Cuius etiam intentionem in hoc opusculo imitatus obsecro, ne quis vel propter vilitatem meam vel propter relationis ipsius rusticitatem hec parvi pendat, sed potius ea, que ad edificationem communem quocumque inpolito sermone a me prolata fuerint, attendat. Sepe etenim ex vasculo vili potus delectabilis solet hauriri. Et o infelices, qui pietatis divine spernunt monita, quibus non solum vigilantes, verum etiam sopori deditos nunc ammonitione lenissima et ultra humanum modum exortatoria, nunc horrenda penarum infernalium ipsiusque iudicii extremi quasi imminentis ostensione, interdum vero, cum nullam emendationem ex predictarum visionum lenitate provenire conspexerit, plagarum ingentium severitate a lascivia et torpore letali revocare dignatur.

4. Edward III on arms control in Oxford (1335)

Edwardus Dei gratia, etc., Cancellario Universitatis Oxon' salutem. Quia intelleximus quod quampures scolares Universitatis predicte et alii ad villam Oxon' colore studendi ibidem accedentes, diversas armaturas in hospiciis suis hactenus retinuerunt et retinent hiis diebus per quod diversa mala ibidem ante hec tempora evenerunt et adhuc timendum est mala pejora exinde posse provenire, nisi super hoc remedium apponatur, nos volentes hujusmodi mala et pericula evitare, et quieti et tranquillitati magistrorum et scholarium in Universitate predicta studencium, necnon hominum dicte ville et aliorum ad eam veniencium et ibidem commorancium providere, vobis mandamus firmiter injungentes quod statim visis presentibus in locis ubi expedire videritis publice proclamari, et ex parte nostra faciatis firmiter inhiberi, ne qui scolares aut alii ad dictam villam colore studendi, sicut predictum est, declinantes hujusmodi armaturas in domibus sive hospiciis suis retineant, nec quod homines predicte ville armaturas aliquas predictorum in domibus suis custodiant seu receptent sub pena incarcerationis et forisfactura armaturarum predictarum.